

V C
4717



82-
A.36

M

M



825
K. 36, 22.

T 460

V c
4717

L. N. J.
DE

VICTORIA
LIPSIENSI
ORATIO
IN ELECTORALI ACADEMIA AD ALBIM
habita publicè

M. JACOBO Wächtern/
Grimm. Misn.



ANNO M. DC. LX.
Literis JOHANNIS HAKEN.





SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
SAXONIAE
ELECTORIS AC
DOMINI

DN. NOSTRI CLEMENTISSIMI &c.
IN SUPREMO ECCLESIASTICO SENATU
EMINENTISSIMO



PRÆSIDI,

V I R O

ILLVSTRI, GENEROSO, STRENUOQUE
AC SUMMO



DN. HAUBOLDO A Adiltitz /
CONSILIARIO, CAMERARIO, AULÆQVE
PRÆFECTO LAUDATISSIMO,
IN Schenckenberg / Oberau /
ET Scharffenberg
HÆREDITARIO:

Nec Non

SENATORIBUS CETERIS ET CONSILIARIIS
GRAVISSIMIS,

MISSIVIRIS

MAXIME REVERENDIS, MAGNIFICIS; NOBILISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS AC
EXCELLENTISSIMIS

DN. JACOBO VVELLERO,

A Molsdorff / IN Karsdorff &c.

Theologo Summo & Incomparabili, deque Eccle-
sia Christi eminenter merito & adhuc merenti, Se-
reniss. ELECT. SAX. à Consiliis Ecclesiasti-
cis, Sacris Confessionibus, & Concio-
nibus Aulicis primariis:

ATU DN. CHRISTOPHORO BULÆO,

Theologo celebratissimo, Ecclesie ad D. Cru-
cis, quæ DRESDÆ est, Pastori, & vicinarum
Superintendenti benemeritissimo:

E DN. GOTTFRIDO BERINGERO, J. U. D. Cu-

riaque ELECT. Eccles. Adessori cele-
berrimo:

itz /
QVE DN. JOHANNI FRIEDERICO HEIGIO, J. U. D.

ac Ejusd. Curia Adessori fami-
geratissimo:

DOMINIS meis, Promotoribus, ac Patronis OPT. MAX.
submissâ observantia æternum venerandis
perpetuam precor prosperitatem.

EMINENTISSIMI DOMINI;



Uti ea, quæ orbis terrarum sub cæli ambitu continet, humanis duntaxat conditionibus immersa esse existimat omnia, vulgatisque mortalium ordinibus Reges accenset ac Principes Viros, haud æquus rerum æstimator est. Latet in illis occulta quædam divinitatis pars, gravior auctoritas, virtusque ac spiritus altior, quàm ut ingeniis contingere humanis, nudisvè hominum parari artibus viribusque possit. Ac sicut exempti consuetis vicibus atque fortunis mortalium sunt, sublimiusque quodammodo levati; ita supremum explorare diem, moreque communi vitâ sua concedere cum videntur, vivere demum, ac immortalibus laudibus vehi ad posteros, vagari per orbem, ferri in Cælum, quos jure comitatis non nisi mirari licebat ante, incipiunt. Quæ tùm eorum pietas, quæ in Republicam fides ac merita, quæ fortitudo, prudentiaque, atque felicitas fuerit, interrogant nepotes, celebrant, condereque annalibus haud lassescentibus calamis contendunt. Sanctitatis autem constantiæque ac omnium Virtutum splendidius ecquod exemplar Divo JOHANNES GEORGIO I, *Electore Saxonico*, nostris temporibus fuit? quis Eo sapientior Princeps, quis fortior ac fortunatior Heros extitit? Non est, qui quicquam detrahere laudibus tentet, nisi qui suam tantâ *Herois* Virtute superatam invidiam lugeat. Fateor equidem, quanta illius gloria, quantave in suis, quas gesit, rebus materia gloriæ reperiatur, nunquam eloqui posse me, quod nec egregii quidem pluresque exponere dicendo Cicerones possunt. Quorum si quicquam cuiquam (quo de dubito) ignarum sit, *Vobis* certè eò cognitiora hæc arbitror omnia, quò major in beatissimi PRINCIPIS memoriâ *Vestra*, *VIRI* de *nostra Saxoniam maxime meriti*, veneratio est. Hæc ipsa cum fuerit ingens perpetuo, non minus eximiam spem attulit mihi, fore, ut ei cuperetis bene, qui divinisimum Principem, Vosq;

Iti-

Istius Proceres ac Admiratores Maximos devotione hu-
millimâ veneraretur. Itaque pietas eadem, eademque devo-
tio subdidit stimulum, ut in æternam Fortissimi HEROIS me-
moriâ de præclarissima ejusdem, partâ ad *Lipsiam*, Victo-
riâ Orationem componerem, Vobisque, EMINENTISSIMI
VIRORUM, submissâ voce ac mente dicarem ac consecrarem.
Ignoscite ceterum, *Sapientissimi PATRES*, ignoscite huic
audaculi infantia, qui, generi sermonis vilissimo adseruetus,
tam excellentes gestasque à tanto Heroe res dicere non tan-
tùm publicè, sed etiam incomptis literis alloqui Vos, tamque
exilibus chartis ac verbis Vestrum obterere Culmen non du-
bitarim. Conatibus quidem non respondere successus ex æquo,
velut nec genus loquendi argumenti præstantia congruit: ac
rerum magnitudo successuum tenuitati, piisque conatibus ce-
lebratissima Vestra, BENIGNISSIMI DOMINI, facilitas in
eosque, qui Principum aliorumque Summorum Virorum su-
spiciunt gloriam, Voluntas propensa, spero, patrocinabitur,
VOS DEUS SERVET.

ILLUSTRES AC EMINENTISSIMI
DOMINI

*Humillimus Vester & ob-
sequentissimus servulus*

M. JACOBUS Wächter.

RECTOR
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS,
CHRISTOPHORUS NOTT-
NAGELIUS FRANCUS, SUPE-
RIORUM MATHEM. PROF. PUBL.
CIVIBVS ACADEMICIS S. P. D.

Non veneranda tantum beneficia Numinis eò tempore
sunt, cum conferuntur primum; sed recolenda etiam
semper deinceps celebrandaq; veniunt; cum nihil ad
benemerendum invitare efficacius soleat, quam receptorum
meritorum recordatio grata. Perpetuo nobis clementia ac boni-
tate divinâ opus est: nec quicquam, destituti ope atq; auxilio
DEI, efficere possumus aut obtinere, quod aut soletur nostras
necessitates, aut adjuvet commoda. Semper itaq; agenda
gratiæ sunt: ut dum accepta prædicamus beneficia, accipienda
facilius impetremus. Non aliam sibi vicem reddi à nobis po-
stulat Deus. Hæc acceptissima illa hostia est, hoc sacrificium
illud, quò capitur teneturq; maxime, ac conciliatur. Namq;
cum totus animus, totus mens sit; non delectare eum adornatæ
corporibus possunt res; solâ pietate animi obligatur. Quam cum
pro minimis etiam ei debeamus (nihil enim omninò nisi dante
ipsò & aspirante habemus unquam atq; consequimur) quantò
magis præstare hanc ei fuerit par, cum impertierit maxima,
quorumq; fructus in longas durent ætates? Nudius tertius VII.
Eid. Septembris auspiciatissimo recurrit exortu, quâ ante hos
IX, ac XX. annos illustris & planè divina nobis Victoria
parta

parta ad Lipsiam est. Quæ cum periculis maximis, quibus fortune & capita nostra exposita erant, tum liberavit non tantum nos, in ultimum prope tempus coniectos; sed id effecerit etiam, ut quod in tuto religio nobis sincerusque Numinis cultus hodie constat, ad excellentissimum illum diem, præcipue sit referendum. Non oblitteranda igitur ejus memoria est, si pii gratique audire volumus; sed excitanda modis omnibus, & quoad licet, ferenda laude ad posterum est, & ab oblivione, qua licet, vindicanda. Pensi id habuit ingenio ac eruditione florentissimus Juvenis M. **JACOBUS WÆCHTLERUS** Grimmensis, idque præclarum impetum cepit, hoc incredibile beneficium Numinis anni versaria oratione recolere hodie, datam à nobis hanc veniam, ac celebrare. Digna favore ac studio vestro hæc pietas Juvenis, **CIVES ACADEMICI**, est. Quapropter hanc acroasin egregiam cum sit facturus postea finitis sacris pomeridianis publice; Vestrum erit, adesse in loco consueto frequenter, & Commilitoni Optimo benignam haud tantum navare audiendi operam; sed & levare ad Deum immortalem animos, eique arcana mentis voce agere gratias pro tanto munere, quod non Saxonie nostrae modo in illa victoria contulit, sed quo, quæ patet, sequitur porrexit orthodoxa pietas, Germaniam universam obstrinxit. Continuet nobis hæc gaudia **DEVS**, tantosque successus majoribus augeat deinceps, ut contra perfidiam veritas perpetuo vincat, perpetuo triumphet. P P.
Dominicam XII. post Trinitatis, anno recuperatae gratiae
1690. LX.



Clariss. DN. AUTORI, Fautori & Amico
nec non Conuictori suo honorando.

TEmpus erat, quo Relligio non arte Lutheri
Saluari potuit, Marte tuenda fuit.
Lipsiacis in agris conuenerat impius hostis,
Et cum GUSTAVI milite SAXO Pater...
Certabant pariter, nostris Victoria cecidit,
Sic moderante DEO, sed LIGA uicta fuit.
Digna recensitu res! Terq; quaterq; beatus
Qui pro saluificâ relligione cadit.
Felix qui pugnam hanc eterno consecrat ævo,
Laudibus atq; suis interius se vetat.
Hoc quia Tu VVÆCHTLERE facis, quo nomine
dignum
Te celebrem? Factum hoc Te super astra uehet.

εὐφροσύνας ἐνεκα f.

ANDR. KUNADUS D.
& p. t. Acad. Rector.





I. N. J.
RECTOR MAGNIF. &c.



um fata Germaniæ, quibus superiori-
bus annis exerciti fuimus, animum sub-
eunt (ut frequens præteritorum recor-
datio est) identidem querimus de atro-
citate armorum, & quibus vexati miser-
rimè fuimus, bella tristissima penitus
detestamur. Ac cò promptius quidem, quò plura u-
bique signa vestigiaq; videmus exstare, quæ diritatem
illorum ingerant oculis, mœrore q; ac luctu animos
impleant. Quà lata camporum lætissimis olim flave-
bant segetibus, qua colles vitiferi uvarum temulen-
tia dulci se exerebant, hîc nunc squalere horrereq; du-
metis ac silvis omnia videas, & feras bestias degere, u-
bi lares ac domicilia habebant ante, in quibus divi-
nitatis simulacra intueri quotidie fas est. Quid nunc
ruinas urbium, quid strages domorum, quid lacerata
templa atque semirutata (nam neq; illis impius furor pe-
percit) loquar? Augetq; dolorem atq; intendit mi-
rificè, cum formas castrorum dimensis principiis, cū
fossarum & aggerum reliquias cernimus, quibus ex-
pugnata destructaque nostra ante-felicitas est. Ex-
haustæ divitiæ, direptæ opes, æquata solo ædificia, ex-
usta domus, trucidati incolæ vel dissipati exiliis, in-
vecta solitudo per agros & oppida, acerbam ubique
bellorum nobis recordationem injiciunt. Actumq;
de nobis fuisset penitus, ni respexisset melior DEUS, &
tumultuosissimas bellorum turbas jucunda pacis mu-

B

tasset



lasset quiete. quæ ex mœrorè relevat animos, & securitate præsentis perpefforum antea tristium memoriam lenit & consolatur. Vincuntur facilè tristia, cum meliora successerint: nec pridiana tempestatis offendit memoria, quam bonus ac clemens excepit dies. Invisitantur labores, dum patimur; cum delectare mulcerèqve ceperit quies, si non obliviscimur penitus priorum turbinum, non tam acerbè tamen, læti præsentibus bonis recordamur. Sed conservare bellorum memorias proderèqve ad posteros literis, quid gentes commiserit ac concitarit in arma: quibusque hæc ipsa consiliis ac rationibus illata non tantum, sed & depulsa & profligata fuerint, posterorum interest? Ut documenta hinc sumant, ac discant minores cavere prudenter, quæ aut affixerint alios, aut planè everterint: quæ cladium atque exitii, & quæ salutis attulerint causas. Hoc impulit Cæsarem, res gestas à se ut ipse componeret: hoc Livium Tacitumqve & alios adduxit, ut suos conficerent annales. Eadem scribendi ex malis nostris datur occasio; neque deessent decora ingenia, ni prævalente adulatione deterrentur. Fuere & proximâ tempestate, cum omnis Europa in semet consurgeret, Arminij nobis, fuere Germanici aliique hujus generis heroes, haud tamen perinde celebres nobis, dum vetera extollimus, recentium incuriosi. Nihil quippe in rebus humanis contingit novi; orbis quidam decurrit: quæ gesta prioribus seculis legimus, hodiè rursus videmus geri; ut, cū ludatur fabula eadem, aliæ saltem procedant personæ & scena non nihil commutetur. In primis novem ab hinc atque viginti annos collatum à DEO beneficium

in nos, nullius unquā voce deprædicandū satis, ne file-
ant posterī, longè dignissimum judico. Fervebāt bellis
circū circa omnia, quæ eò crudelius gerebantur, quod
civilia essent. Patriæ jam jam viscera victori propemo-
dum tenebat similis, victamq; Germaniam TILLYUS
credebat, cum Magdeburgum ferrō flammisque ex-
pugnasset. Nullus modus rapinis, cædibus, stupris, atq;
incendiis; juramenta & fœdera ludebantur palàm.
Ponebantur in armis omnia, & illud pium justumque
censebatur, quod gladius poterat impetrare. Adeò
ad interitum non tam vergebant res patriæ, quàm ru-
ebant, & videbantur adversa fatorum non expectari,
sed urgeri aperte, atque laceffi. Quibus haud dubiè
succubisset Imperii moles, nisi æterni Numinis provi-
dentia, ex ingenti suò in Ecclesiam amore, partibus
nostris concedere Victoriā ipso, quem pridie egi-
mus, REGINÆ die voluisset; unde successus subsequen-
tarum rerum omnium pependit. Grati proinde ani-
mi fidelis memoria, ipsa quoq; Historiæ suavitas, cum
& Ambitio & Justitia, & Fortitudo ac Prudentia, imò
Fides & Odium de industriâ quasi inter fortissimos vi-
ros æquarint certamen; ut eam celeberrimam pugnā,
quā apud LIPSIAM TILLYUS fundebatur, describe-
rem, compulere. Genus tamen sermonis leve, tan-
tisq; Heroum personis, ac tam venerabili Auditoriò
non satis dignum, ferè silentium meæ imponit exilita-
ti. De illis etenim cui dicendum sit, & apud Vos qui-
dem, SAPIENTISSIMI PATRES, quibus & ingens
modus doctrinæ, & longè certissima rerum notitia, &
incredibilis in Assertores PATRIÆ amor & reveren-
tia semper fuit, quantò ingeniò, quò ore spirituque

opus fore putabitis, ut & equet dicenda, & ad quos dicitur, eorum votis judiciisque respondeat? Me verò audentem jucundissima valdeque notabilis rerum materia fecit; quas eâ fide, quâ claris Scriptoribus memoratae sunt, referam, sine irâ & studiô, quorum causas procul habeo. A Vobis, Auditores, ordinum omnium hōnoratissimi, etiam atque etiam & observanter contendo, ut paucula de fatiis & assertoribus Patriæ differenti, pro Vestrô in patriam ejusque Assertores affectu, benivolis animis dare operam ne dedignemini.

Qui accuratiori æstimatione facta & eventus conantur proponere, in illam fermè se partem convertunt primùm, unde principium extitit. Ego perinde, dum nuncupata verborum vota incipio solvere, priusquam de ipsâ clade memorem nonnulla, operæ me pretium existimo facturum, si inde potissimùm ducam initium, ubi istius belli sævissima vis primùm prorupit. Imperii Romani, quod nunc Germania omne complectitur, longâ ætate in hodiernam usque lucem hæc fuerat ratio, ut summa rerum quidem penes unū, sed suffragante Electorum auctoritate, esset posita. Potestatem eam cum Duces AUSTRIÆ, favente Numine, fungerentur haud semel, sociatis matrimoniô circumjacentibus regnis, indies & potentia creverant & opibus, tandemque pervenerant in summum illud, in quod fermè suspicere reliquos omnes oportebat. Fortean cum SIGISMUNDO Poloniae Rege, cognomento hujus Tertio, de auctoritate Majestatis, GUSTAVUS ADOLPHUS, Sveciæ Rex disceptabat. Igitur Cæsar propinquâ sibi cognatione conjunctum *Sigismundum,*
suô

suò juvare milite conatus, ne quã daretur accessus
Svecis, Stralesondum urbem portumque, magnum Im-
perii munimentum, subigere, instructaque tueri classe
Waliensteinium jusserat. Hinc variã cogitationes
Svecorum non modò, sed aliorum quoque animos ce-
perunt distrahere, suspicatis plerisque, res novas mo-
liri Cæsarem, & quæ in protestantium, quos vocant,
excidium expediturẽ viderentur. Præcipuè cum Im-
perator Ecclesiastica bona restitui Catholicis, nescio
quorum ferali instinctu postularet. Gliscere inde di-
scordia Principum magis ac magis, membraque & ca-
put inclinare in partes. Cujus Rex Sveciã certior fa-
ctus, ut urbem portumque ab imminentibus liberaret,
quantã maximã potuit, celeritate transiit exercitum.
Cumque intellexisset, suspensionem motam nonnullis;
non tam auxilii conferendi, quàm regni amplificandi
spe petisse discordantes Germanias, obtentuique ar-
morum pietatis titulum callidè sumi; ad Electores &
Principes ceteros ilicò dare literas, quibus & sui ad-
ventus approbaret causas, & admoneret juxta, ne in
tanto periculo patriã otiosi sederent, sed dignitati for-
tunisque suis advigilarent maturè.

Interea Cæsar de restringendò bellorum incen-
diò consultaturus, ad comitia vocabat Svecorum le-
gatos. Ii, cum tempus viderent vanè extrahi, jamque
conditiones pacis magis magisque consenescere, in-
valescente ubique bellorum apparatu, non desierunt
monere Regem, ne rebus deesset, sed, quod feliciter
verteret, maturè caperet arma. Rex habitò consiliò,
eundumne in arma, quod occasio facilè svade-
bat; intentiore cura parare omnia, comites le-

gere, expedire impedimēta, naves adornare. Memorāt
annales, Octavo Calend. Febr. miranda in Germa-
niis passim Silesiisque phasmata apparuisse. digladi-
tos in coelō exercitus equitum peditumque, implicatis
confossos mucronibus viros, tormentorumque soni-
tus atroces auditos. Diversis in locis sub panibus re-
busque aliis rivi sanguinis exstitisse dicuntur: ex ipsis
hominibus quidam manantis sanguinis guttas nota-
vere: alibi & unda similem repræsentavit imaginem.
Quæ haud incerta futuræ vastationis ac Numinis irati
omina fuere, si quâ re tolli mortalium pertinacia atq;
securitas posset. Sed obluētantibus fati, veris con-
siliis locus non erat, occlusisque ad salutaria auribus,
non nisi volentia ac nocitura exaudiebantur. Et ul-
trix scelerum, quæ ubique gravabant, divina Justi-
tia jam moliebatur illud fulmen, quō omnis mox cō-
flagraret Germania, Europa tota tremisceret, mo-
tis quassisque, quicquid uspiam agrum & morbo cor-
ruptum.

Gustavus interim mille & sexcentis equitibus, pedi-
tumque decem millibus classi impositis, ventō secun-
tante Codanum petiit. Cumque delatus Rugiæ in
Insulam esset, supplices DEO sub dio preces allega-
bat, idemque ut facerent, hortabatur propinqvos:
precibus pugnae dimidium exsolvi, sequi victoriam an-
tecedaneas preces. Enimverò imbecillior est huma-
na Natura, quàm ut egregii a liquid atque frugiferum,
quà privatim, quà publicè conari saltem, nedum effi-
cere valeat abs se, ni intervenerit DEUS ac vires opes-
que adspiret haud tantum, sed & consilia sugge-
rat, & velut aperiat vias, quâ sit eundum. Cele-
riter

riter ergò, quicquid progrediebatur, in fugam averfò
hoſte, præliisque minoribus proſpere patratis, unà
cum Duce Pomeraniam Rex recepit in fidem. Eò
Magdeburgenſis Archiepiſcopatùs Adminiſtrator,
Chriſtianus VVilhelmus Brandenburgēſis Marchio
venerat, petendæ op̄is cauſâ contra eos, qui ditio-
nes ſuas occupâſſent armis. Rex eâ utendum occaſi-
one, quâ diſtrahendæ hoſtium copię forent, arbitra-
tus, facilè præbuit aſſenſum. Ille reverſus in urbem
clanculùm ſuam, Cathedrale primò templum ſubiit
peſſimò omine, cum Hieroſolymorum pro concione
recitaretur excidium. Mox parùm proviſò comme-
atu conducit militem, potiſſimasque in loca finitima
copias diſtribuit, atq; Cæſarianos, quâ poterant adiri,
majori ferocia quàm conſiliò proturbat. Veritus Rex,
ne corrumpentur cepta, Falckēbergium inſtructum
nummiſ allegat maturè, ſi vires hoſtium vel trahen-
do, vel à fronte quadantenus eliciendo ac diſſipando,
quiret minuere. Promptior ipſe pergebat in Mar-
chiam, hoſtesque ſicubi reſtiterant, pellebat ſtatim,
foedere adſumptis Oldenburgi, Haſſiæ ac Meckelbur-
gi Principibus.

Penetravit id altiùs Imperatoris animum; non
ſimplices eas curas, nec Straleſondi duntaxat libertatē
quæri. Si partes labarent, ſummam iri turbatum.
Quare Ratiſbonam comitiſ edictis, tamen Pontifi-
ciorum, quàm noſtratium vota preceſvè propiori vol-
vebat ſtudiò, hiſ ad arctiorem neceſſitudinem curam-
que ſalutis majorem haud equidem parvò incitamen-
tò. Cum enim potiſſimum DEI gratiâ purioris Ec-
cleſiæ fulcrum, eximiæque præ aliis potentiz & au-
torit-

toritatis, apud Imperatorem Saxo, JOHANNES
GEORGIUS, divæ memoriæ Primus, videretur; ca-
pesseret arma, rogabant omnes. Abnuens autem ad-
versus Superiorem sibi bellum competere; scriptu-
rum se ad Imperatorem recipiebat. Forsitan plura
consiliò, quàm vi, perfici posse. Nihilominus despe-
ratâ edicti proximi, onerum, armorum sublatione,
quam per Legatos ac literas impetraturum speraverat
se; postquam & Rex abesset haud amplius procul, ver-
sisque ex repentinò motu in manifestum furorem ani-
mis, legiones Cæsaris ac turmæ passim volarent; ce-
teros Principes atque imperii membra, quibuscum
communis Religio erat, Lipsiam vocabat, ecquid a-
gendum, deliberaturus. Magnò illi ad præstitutum
diem numerò conveniebant, conspicuique præ cete-
ris GEORGIUS WILHELMUS Brandenburgensis E-
lector, AUGUSTVS Rheni Palatinus, JOHANNES
PHILIPPVS, nec non WILHELMVS, JOHANNES
CASIMIRVS, Saxonie Duces, CHRISTIANVS
Marchio Brandenburgicus, JOHANNES WILHEL-
MVS Altenburgicæ, & BERNHARDVS Vinariensis li-
næ Duces, WILHELMVS Hassiæ Landgrafius, AU-
GUSTVS Anhaltinus, Serenissimi atque illustrissimi
Principes erant. Cetera Baronum, Comitum, Vr-
biumque imperialium splendidissimi Legati subsellia
tenuere. Variis deinceps agitatis in utramque partem
consiliis, ad Cæsarem sociosque, quos sacra, ut ap-
pellabatur, junxerat LIGA, scribendas literas, petentes
conditiones & pacem: ac his negatis, arma & bellum
exstorqueri invitis decernebatur. Parum quippe
præsidi contra armatos & validos in solâ innocentia
est

est; bellum vitandū alitur, & amiserunt plures pacem,
qui pacis immodicū studiū armorum curam omise-
serunt.

Interim sibi exterorum regnorum vires & plures
populos adsociaverat Cæsar, quò & à lateretutior, &
recens ad Albim incendium maturiùs interstingeret.
Nec dubitabat, fortunæ pristinæ memor, reprimi fa-
cile Regem ac vinci posse, si cum unò, nec instructis-
simò copiis, decernendum esset. Itaque *Pappenhei-*
mius cum suò milite petit urbem, urit vastatque agros
circum & oppida, tum Administratoris copias passim
fugat & pellit. Præcipuè cum *Tillyus*, quem penes rei
summæ regimen erat, collectum ex Sveviâ Franconi-
aque atque Westphaliâ exercitum adduceret. *Tilly-*
us, veteri auctoritate populorum fermè omnium ter-
ror & fulmen: cujus & prudentia & felicitas pares cū
ætate adsumpserant gradus; miles fortissimus & invia-
ctus, nisi ad ultimum suam cum cinere Magdeburgi
miscuisset fortunam. Intra paucorum ille die-
rum spatium, quàm circumfidere ceperat, sexto Eū-
dus Maji, salutis nostræ anno trigésimo primò supra
millesimum & sexcentésimum, expugnaverat Urbem,
Prophana simul & sacra ruinis & ignibus debebantur;
non sexus, non ætas, non dignitas miserationem at-
tulit; quicquid imbecillum, captum aut trucidatum.
Exceptis, quos flammæ absorpserant, aut barbaræ ra-
biei in præter labentem Albim præripuerat metus, eò-
dem in fluvio sex millia & quingenti tumulum reperé-
re. Falckenbergium in dorso valli, cum propius di-
micaret, solusque sustentaret pugnam, percussum

C

gloz

globulò, mors fato propera, haud tamen inulta ab-
stulit. Captus & Princeps, & vulneratus, & Wolmir-
stadium, indeque Austriorum Viennam, ubi in Pon-
tificias transiit partes, auctus est.

Auditâ urbis obsidione statuerat Rex ferre sup-
petias, atque ostendere, quanta & fidei, & religionis
& asserendæ libertatis cura excubaret apud se; jamque
ingenti spatio magnâ celeritate confectò, haud eâ re-
gione substiterat procul. Ubi locorum fraude su-
spectâ, dum sibi præsidia quærere apud Electores proximi-
mos satageret, Urbis inter pauca fortunæ exempla
memorandæ, salus unâ cum subveniendi occasione
amittebatur. Sed velut ortò incendio, cum una do-
mus deflagrat, domesticos vicinosque partes agere sa-
tis est; vagante latius ignium vi, & involvente vicos
integros, cessare neminem, & quemque cum hamis
aut dolabris adesse oportet, qui violentiam flammæ
vel frangat humore ingesto, vel sistat penitus, cohi-
beatque dejectis fastigiis, & si quæ in proximò attra-
hant malum, ac mittant latius, in communem ruinâ.
Ita quos *Tillyus* editò ferociæ magis, quàm justitiæ exē-
plo territurum crediderat se, nostrates urbem eam
in semet futuræ crudelitatis faciem, ni obsisteretur, ac-
cipiebant, intimiusque, qui mente ambiguâ defen-
sionis alienæ speculati fortunam fuerant hætenus, ad
vindictam liberiolem nunc magis, quàm ad exitiosâ
patientiam proclives, congregiebantur. Veritus ide-
òque *Tillyus*, ne plurium bella gentium, diversis ex
locis, uno tempore, ad obterendum Cæsarem conflu-
erent, facillimos aggredi, atque ad ferocios perge-

re paulatim, corpusque, quod *Lipsiæ* nùper coaluisset, quocunque modò solvere statuebat. Inde Thuringiam vicinasque invadens provincias, omni clade vastavit, nec paucos ex Evangelicis Ordinibus, uti decreto *Lipsiensi* remitterent nuntium; vi minisque adiegit. Accepto deinde *Pappenheimium* præsidere *Magdeburgi* custodiæ jussum, Svecorum accursu periclitari, raptim agmen cursûs magis, quàm itineris modò per Saxones duxit, improvitus, ut sibi persuaserat, hostibus superventurus.

Inter hæc Saxo à FERDINANDO Cæsare literas accipit, quibus ei denunciabat, *ne stare pro hostium causa, mandatis ne contravenire, ni experiri gravissima velit, sustineret; nevé quos unio, invisa sibi, coegisset Lipsiæ, decretum pateretur exequi.* Variis interim ejus terra oneribus atque irruptionibus mirum in modum vexabatur, hostesque jam suis infederant finibus, & ad interiora penitus properabant, cum arma prohiberentur, quæ deprecatus Elector in hoste ipsò aliquoties fuerat. Proinde agendum cautius ratus, omni milite, qui jamdum passim adversus bellorum subita expeditus per provincias habebatur, Lipsiam vocatò, castra ante Hallensem portam circumdatò posuit vallo, si hostium adventarent copix, in occursum præcinctus. Ad Imperatoris epistolam; *Sanctitatem Augustam*, regerebat, *non prophanari abs se, neque, quem Lipsiæ fecisset, conventum ullis contrariari legibus; nec aliud inter tantos tumores rerum & in hac tempestate periculosissimâ, quâ atrocissimis tumultuum procellis fluctuaret imperium, cunctaque fermè salutis aut pacis evanesceret spes, reliquum fuisse. Intolerabilibus*

cives suos in tributionibus depasci, agrorum terminos irruptionibus lacesi, militumque efferatissimo furori permitti omnia. Bellum abnuere se ac detestari, si sua sociorumque a vita libertas relinqueretur intacta; nec fore, de suâ aut aliorum in Cæsarem reverentiâ, si impetrare jus fasque possent, quod dubitaretur.

Tristior ad ea Cæsar atque incensus, Tillyum, qui Regis exercitum, ut ut id sedulus egisset, nullis percutere artibus poterat, ire in Saxonem, atque, ad literas suas excipere si pergeret, ultima vi ad capeflenda imperata cogere jubet. Ille, quò Electoris indulgentiam fatigaret magis, monere, ne tergiversari, ne resistere Cæsari animum induceret! Unionem suspectari, multa que discrimina tracturam, Copias, quas aleret, adversus insanientes Svecos concederet ipsi haud tantum, sed & pecuniarum præscriptas à Cæsare summas quantocyus penderet, liberum daret comeatum, restitueret Episcopatus, reliquosque, ut Imperatori summitterent se, socios adhortaretur. Trahi armorum impetum, si forte mutari in pœnitentiam præsumptio posset, Suam sibi quemque fortunam fingere; cum pacem respuerent, obstinati in bellum, singulos extremam perniciem passuros. Contra Elector: proximum suum concilium in deterius trahi, aut in Majestatis violationem accipi jure nullò posse. Limitem firmaturum se milite, neque armis belligerantium, neque consiliis misceri passurum. Cognosceret ipse, quæ Cæsari de eadem scripsisset re non ita pridem: suæ etiam in Cæsarem maxime, multisque periculis probata toties fidei ac pietatis memoriam recoleret. Gratias ei ac præmia, non odia deberi; cujus virtute salus alterius, ex quò multorum pependisset spiritus, redisset in vitam. Non ignara sibi insignem

signem Imperatoris clementiam esse; qui benivolentiam
qui clientelam sacro sibi promississet ore, quanquam defice-
re promissis videretur, insontitamen contraria non exhi-
biturum. Jam Francofurti de bonis Ecclesiasticis agi; si
Tillyus, ut esset equum, quietam turbidis anteferret, impe-
rioque Romano conciliare concordiam studeret, infensis
migrationibus, rapinis ac postulatis, armorum irritamen-
tis, in tempore temperaret. Se pacem, quam bellum pro-
bare; nec tamen metuere arma, siquidem sublatâ pacis spe,
cum iis, qui ad incendium commune doloso cineri supposuis-
sent hæctenus ignes, non nisi armis victoriaque transigi
posset.

Sed quis à belli cupidis expectet pacem! cuius
spes cum vix dum tenuiter ceperat surgere, en Für-
stenbergius, quantò maximò poterat exercitu coacto,
adventabat ex Italiâ, ut Tillyano cum milite gemina-
retur. Equitum peditumque quadraginta millia ad-
modum erant, unò qui impetu primam petebant Sa-
xoniam, ferrò & flammis pervastatis omnibus mean-
tes propius capiebant Martisburgum, præsidio, ne ul-
lò unquam tempore Catholicos persequerentur, fæ-
dere obstructò ac dimissò; sacrisque & publicis expila-
tis ærarijs, amplissima spolia convasabant. Vagide-
inceps Cizam, Numburgum, alia circumjecta oppida
[ut erat regio multis vicis atque urbibus frequens]
depopulabantur. Incolæ suis sedibus, terrisque suis
cultores non sine miserrimis ejulatibus desertis, par-
vos secum trahentes liberos ibant, quacunque effre-
ni hostium immanitati, prædis ac vili sanguine nimis
gaudentium, licebat subduci. Deprehensi seu pupil-
lorum, seu proprias, seu Principis dare pecunias, ad-

hibitis absque discrimine tormentis, cogebatur, parata libidinis atque barbarici materia: cum Brennus equidem se jus in manibus armisque ferre, virorumque fortium esse omnia existimaret.

Electo milites, quos ante paullo contraxerat, equestres juxta ac pedestres, actò ad urbem delectu, discedere in cohortes, armarique jusserat. Instructa deinceps acie custoditurus Albis ripam, itineri & praelio Torgam verterat; ubi aestimato locorum situ, cum Dresdâ quotidie subvehi commectus possent, castrametari; Regemque, haud in longinquo morantem, operiri placebat. Alibi autem transgressus fluvium Tillyus urere cuncta ac diripere: Lipsiam quoque, quam Electoralis territorii totius oculum non inepte existimabat, per cursores monere: *aut adveheretur commectus ab incolis, aut averturum propediem se ipsum!* Die mox illustri alium ablegabat monitorem: *acciperent cives copiarum suarum partem, alerentque, & quicquid mandasset heri, perficerent; aut si renuerent, experirentur ultima.* Insciò illi Electore quicquam sibi constanter negabant licitum. Cunctas ergò legiones Halâ Lipsiam ducebat, primâque statim luce per spatiosos ambitus explicatâ vi suâ, *si gratiam, quàm exitum mallent, adsurgerent petitis*, favorabili primùm ac permodesta oratione, turbidâ mox atque minaci adhortabatur. Immotum tamen ad ea fixumque Reip. fuit, extra Electoris judicium nequidquam concedere; fortiter potius deletis igne suburbiis retundere tela & retorquere; jamque non pauci hostium, quos inter ipsius Tillyi comes, auferrebantur. At Tillyus intente munimentorum naturam speculatus, tormen-

tis

ris ingentibus urbem quatit, ignisque globulis affligit edes, donec aut dederent se, aut expugnarentur cives, non desiturus. Ceperat multitudo incutere metum; tandemque, cum Electorale explorari subsidium nequiret, fore in Casarianorum potestatem videbatur urbs, tametsi ferre obsidionem decernerent. Itaque ut agmina hostium in dies singulos augebantur, minque atrociores ingruebant frequentius; fore omnino, ut Lipsiâ facies Magdeburgi repræsentaretur; ad ultimum, per aliena experimenta docti, pacis conditiones cum hostibus inibant. Sunt, qui memoriâ dignum existimant, Urbis legatos, cum pacis articuli primùm sollicitarentur, à Tillyô fuisse in bustuarii ædibus auditos; referuntque ex eventu, institissetùm temporis diem, quò magna Tillyani exercitus pars Libitine ludibrio fieret.

VVanglerus, mille stipatus militibus, intravit urbem, firmatisque præsidio propugnaculis, arcem [præfecto n. inanis metus constantiam exemerat.] facili negotio subegit. Eodem die pervaserat fama, cum decem tribusque peditum equitumque octo milibus & octingentis *VVirteberga* transvectum Albim Regem, secundis castris *Dübene*, quò Saxo & Elector Brandenburgicus venerant, iisdem se commiscuisse. Consilium illic adhibebatur, *quid optimum factum esset? in eundem prælium* Saxo statuebat. *Optimam suarum terrarum partem exhaustam penitus & occupatam esse: vereri se, si bellum differret, ut suo Regisque militi alimenta sufficerent, aut hostis ex iis maximè idoneis locis aliâ ratione exiret, Vicissent & bello, si præliò vicerint. Rex potius Halam & Martisburgum recuperandas, hostemq; circum*

circumcundum, referebat. Unam quidem in armis salutem; sed ea esse consilio temperanda. Sedere Tillyum, ubi cum persisteret, Electorem debellare inopiâ posset; nec inde abiturum facile, utpote ad satietatem commeatum copiam instructum, quomodocunque eliceretur. Præterea breves mutabilesque militarium rerum vices esse; nunquam simpliciter indulgere fortunam. Quid si ordinasset fata DEUS, ut magnò motu ipsorum Imperia concuterentur, admonerenturque fragilitatis humane, cujus nimia in prosperis rebus oblivio esset. Mortales cunctos nocentes peccatis esse, penasque varias optimè meritos. Quid igitur? salutemne totius Ecclesie totasque regnorum vires ancipiti Martis permitterent casui? Prostare velut in medium, Sceptrum ac Insulas duas. Jacturam quidem Sceptrum passurum, si vitam sibi fors invideret; nec tamen infensas manus experturum, quia in terris & longinquis & naturâ situs difficilibus aditu, reservaretur. de cetero insulas haud dubiè hostium ludibrio futuræ.

Neque spernendus videbatur Casarianorum Dux, cujus invicta virtus arguebat, bellorum fortunam sui se quasi arbitrii fecisse. Quacunque duxerat copias, perpetuò laureæ triumphique eum secuti. Nilominus vicerat spes metum, tantumque nunc aberat, ut Princeps magnanimus tot tantisque rebus, quæ facile cuique fortissimo afferre timorem poterant, moveretur: ut inde majores potius alacrioresque sumeret animos, cedere bonis & ipsum spiritum effundere paratus. Stabat imperterritus Saxo, honestisque quibusdam, ut sic dicam, furiis instinctus, quando quidem detrectaret Rex aciem, solum se sustentu-

*stenturum, divinâ penè constantiâ profitebatur. Si
quidem accideret humanitûs, omninò persuadendum
animo, hoc esse pulcherrimum mortis genus, pro DEO ac
Veritate animam ponere. Idque non tam panam, quàm
præmium statuendum: quippe quod non avellat à DEO;
sed arctius, arctiusque cum eò conjungat. Et quicquid tan-
dem sit, sperari ea debere, quæ optima censeantur; nec de-
fore se armis, nec sibi DEUM. Hæc atque alia istiusmo-
di subjiciens animo GUSTAVUS, cui eosdem sensus
mox inspiraverat Numen, annuere se, & quod felix
faustumque DEUS juberet esse, maturandum prius præ-
lium, quàm suis cum cohortibus Altringerus Erffordiâ ve-
niret, securus & hilaris profitebatur.*

Atque nequidquam nox inquietas, nec parum
fausta, cum sibi per somnium luctari cum Tillyo Rex
videretur, periculosò non nihil primùm certamine,
quod Tillyus in terram se deprimi haud permissurus,
lævam Regis affligeret morfu. Nec minus dolere
Rex, tantoperè sibi ex sanguine obluctari canitiem
invadens itaque in capillos, rapere in gyrum senem,
concutere ac prosternere humi, pedibusque convulsû
demergere. Quam speciem sive imminentium cu-
ra rerum, sive divinatio animi præfagientis accersit,
eventus minimè fefellit. Posterò die uterque exer-
citus, lævam Saxones, dextram Sveci tuentes viam
ingrediebantur, cursuque concitò petebant Lipsiam,
ne nocturnâ quidem quiete diurnum laborem rela-
xante. Quò de Tillyus certior factus, animi pende-
re, prodeundumné in aciem esset, an non? fixisse se in ipsò
hostilis terra gremio pedem, ubi neque copia, nec armorum
nec militum esset penuria. Paucis quoque diebus Altrin-

gerum adfore, ejus prestolari adventum, posito ad urbem
castello, tribusque aggeribus obfirmato, decreverat. Pappenheimius, ceterique agminum duces, negabant esse
causam, quam obrem refugerent aciem. Tot eos invi-
ctos hactenus gentes, tot urbes, totque prosperrimò præ-
lia Marte superasse, veteranas copias ad veterasq; victoriis &
diuturnò bellorum usu duratas manus, præesse iisdem toti-
dem Imperatores maximos, & qui soli comparabiles videri
possent. Arma eorum, numeros, machinas, & ceterum
instrumentum belli quod attineret, nullius ore propemo-
dum esse exprimendum. Juvare aciem loci ingenio: por-
rigi planitiem, quæ explicari cohortes per longa spatia,
hostemque circumiri & ancipiti acie opprimi pateretur.
Tenuis hostiū ordines, fameq; atq; itinere partim confectos,
rudes militia, ut impares numero, ita victoria non suf-
fecturos. Ubi primum effudissent impetum, velut
quædam animalia amisso aculeo, fore obtorpescentes.
Tillyus perpetuæ suæ felicitatis, viriumque
haud spernendarum recordatus, tamen si aquam nun-
quam intrasset, quin altitudinem perspexerit ante, ut ipse
de se ipsò frequenter testabatur; futura tamen & pe-
riculosa, quàm tuta & præsentia tunc malebat. Ete-
nim, cum splendet nimium, excæcat fortuna, &
quos uni sibi credere cogit, magnâ ex parte avidos vi-
ctoriæ magis, quàm capaces facit. Successus aliquos
habet improbitas: lætari perpetuò & exultare non
potest: eâque fermè consuetudine utitur DEUS, ut,
quos pro meritis suis plectere cupiat, secundiores
concedat res, ac diuturniorem impunitatem indul-
geat, quò gravius ruant deinceps, quantò sublimius

sc-

steterint ante, & ex hac rerum commutatione acerbi-
us dolcant. Quondam in praelia Tillyus haud secus,
quam ad solemnia publica gaudiis ovans processerat;
lymphato nunc similis, gravissimâque consternatio-
ne, cuius causa non suberat, confusus adeo præibat
agmen, ut cum imperia peterent Duces, nec ulla ei
exciderit vox, nec oris color vultusvè fuerit muta-
tus. Illicò tardatus ad aciem miles, hostiumque for-
midolosior, quem tamen ille extra castelli fossam pro-
pè Breitenfeld ac Dodelwitz ultra quadraginta trahebat
stadia, nobiles clade suâ vicos facturus. Opportuna
extendendis copiis quibusdam partibus regio est, equis
tabilis & vasta planities, liberque prospectus oculo-
rum, etiam quæ procul recessere, permittitur. Eve-
ctis igitur, quæ campus eminebat non nihil, extru-
ctoque pone vehiculaaggere munitis tormentis, quo-
rum globuli spirantis post tergum zephyri flatibus
promoverentur, ipse cum legionibus in planum recede-
bat. Posuerat unicam aciem, fortè ex hostium con-
temptu, quatuor tamen cohortibus peditum constan-
tem. In duas alas equitatus distendebatur: dextræ
Fürstenbergius, lævæ *Pappenheimius*, Tillyus aciei præ-
crant; *JESUS MARIA* in symbolum pronunciatô.
Nostratium duo stabant agmina, læva Saxonum,
dextrâque Svecorum: quos itidem Rex in aciem du-
plicem, duobus munitam singulam cornibus, divi-
derat. Ipse in dextro aciei dextræ substiterat cornu,
cui quod militis modò, modò Ducis ubique munia
sibi injungeret Rex, Regisque custodiæ *Bannerus* præ-
erat, in subsidium Rhenanò milite subornatô. Læ-

vum cornu, quod esset in mediis campis, nec adeo periculosum, duabus tantum cohortibus constans, ab Hornio regebatur. Ordines ipsarum delectus peditum interstingebat, mediamque arcam *Oxenstirna*, *Teuffelius*, *Handius*, *Vinckeliusque*, sui quisque agminis Duces, peditum complebant. In subsidiis cum exercitu amicorum, qui vel periculo vite tueri salutem Regis adveverant, *Uslarius* erat; cuius lateri alios equitum prefectos, *Ramsayium*, *Hamiltonem*, *Monroyiumque* adplicuit. Hæc dexterae aciei facies erat: in lævâ Saxoni proximâ, *Comes Thurn*, atque *Vitzthumius* locati. Univerfum agmen validò *Cochitzkyi* ac *Schaffmanni* equite claudebatur: fronte ductilibus facilique negotio versatilibus machinis firmatâ. Debilioribus equitum, cum corporum nequirent munimenta perfodere, caballos peterent, ferroque in latera diducto, distenderent vulnus, dicebatur. Lævam, ut memoravi, tegebant Saxones, quorum in tabula prius descriptos ordines, Regique & Electori exhibitos *Arnhemius* locaverat. Mediam aciem sex peditum explebant millia; quos totidem dispositi ad latera equites cingebant.

Satisque rûm, quæ in rem videbantur esse, compositis omnibus, hand obscurum victoriæ indicium præbebat columba coloris nivei, quæ paululum super exercitum Saxonis placidè volans, non militum strepitu territa, diuque circa vexillum pendenti magis, quàm volanti similis, mox insidens tamen, ac totum deinde exercitum supervolitans apparuit. Credas, clementissimum quoque Numen militaribus miscere se rebus, signumque, quem penes futura victoria sit, edere

edere in lucem nonnunquā, quò confundatur, qui suis
confusus viribus hostem contemnit: illorum contra,
qui sui vel contemptu vel paucitate campum palmam
que relinquere poterant hostibus, divinā tamen ope
& gratiā nituntur, intumescant animi, magisq; ac ma-
gis corroborentur ac lauream reportent. Equidem tā-
tum militibus animum dedit hæc res, ut longè de exi-
tu prælij conciperent optimam spem, nullā in re tergi-
versaturi. Cæterum eadem omnibus nostratium a-
gminibus præter mutuum symbolum, quò se in tantis
pulverum tenebris invicem noscerent, saligno ni-
mirum ramulò, tessera data: DEUS NOBISCUM.

Acie sic instructā, præterquā quod omnem lo-
corum opportunitatem præsciderat hostis, periculum
novum supererat. Rex prope *Wodelwitz* / lævāque
Saxo ad *Zscholfam* / vicos, per angustos meare calles
duplicatis ordinibus atque ob id rarioris præsidii tene-
bantur. quò transitu magna adolescentis diei præter-
riit pars. Tillyus, si permeantibus angustias superve-
nisset, haud dubiè in mortem cunctos affecerat: Deus
inde avertit hostem. Jam in conspectu, sed extra te-
li jactum perstiterat acies utraque, cum Tillyus, datò
tormentis triplici signo, prior armorum initium ca-
peret. Reddebant nostrates idem signum duplici ja-
ctu, quorum statim primò *Baumgartenius*, bello cla-
rissimus Dux, cadebat, haud contemnendo ceteris ad
desperationem incitamento. Cumque concitator
pulveris ventus agmini Svecorum teneret adversum,
in dextram sensim cum dextro cornu vertebat Rex,
hostium latera adoriturus. Illicò sinistrum cornu pro-

cessit obviam, strenueque pugnatum eminus est, donec Bannerus, ut hostium cohortes, omisso Rege, à suis avulsas longius in semet obverteret, reliquum suum unà cum subsidiis adduxit militem. Qui postmodum proximis subinde manipulis adjutus, medium id cornu scidit, atque ut ad suos, qui poterant, per fugerent, citò coëgit. Alius interea miles, Holfatus ex mediâ hostium acie progressus, quàm maximè tum Regem urgebat, succurrentes Banneri copias validâ virtute sustinebat adeò, ut harum cruore prius inundaret campum, quò suum corpus, cum à secutis continuò auxiliis funderetur, erat tegendum. Reliquis deinde adsumptis turmarum omnibus, dextram versus pedetentim Rex inclinabat, non rectò itinere, sed majori circumitu, ut pone densissimas fumi nubes, quæ ex incendiò proximi vici ad cœlum ferebantur, hostium lateri immineret. Ast *Tillyus* distractas nostratium copias videns, ad Electorem accedebat propius, oppressò quò cetera in expeditò fore arbitratur. Jamque per aliquot horas tormentorum fulmina conqvasârant exercitus, Cæsarianumque in primis, ut *Tillyus*, quò paucioris impendiò sanguinis præliaretur, geminare ordines fuerit coactus. Denique nudatas planè auxiliis Electorales milites cernens, atque imperans sibi, ut crederet, fuscum à suis fugatumque Regem esse, subditis calcaribus impetruere maximò, & quicquid obvium, ferro cepit proscindere. Stabant Saxones, gladiisque strictis impigrè sese egregiè tuebantur. Tum verò multum sanguinis fuscum est. Duæ quippe acies ita cohærebant, ut armis arma pulsarent, ora mucronibus quærent;

non

non timido, non ignavo cessare tum licuit: collatis pede & equo, quasi singuli dimicarent inter se, in eodem vestigi stabant, donec vincendo locum sibi facerent. Et quis tot ludibria fortunæ, ducum agminumque cædem multiplicem, singulam nunc devictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc universorum, aut animo assequi queat, aut oratione cõplecti? Plurimorum profectò annorum res fata in unum illum diem cumulavere.

Potissimæ verò Saxonum turmæ non tam virtute hostium, quàm suâ demum lassitudine victæ, cum recentes Cæsariani succederent subinde, cunctisque subsidiis illæ destituerentur, mittebant ad Regem, *ne longius pergeret, quin potius reverteretur! Ipsos relictis præda impedimentis referre pedem; nisi maturè subveniretur, non posse sisti fugam.* Jamque recesserant longius, & similes triumphantibus hostes insequabantur. Mox etiam nuntii ablegabantur Viennam, qui Saxonem Svecumque victricibus Cæsarianorum succubuisse armis, celerrimè annunciarent. Illicò sonitu campanarum oppida circumquaque & Urbes, templaque clangoribus, jubilis, harmoniacisque concentibus personabant, cum præcoci gaudio irritaretur fortuna, ac periculosius damnum, quò exultaret impietas magis, commoliretur. *Arnimbius* enim qui paucis cum cohortibus paullo recesserat in latus, ac ultimus fermè restiterat, properè rem omnem significabat Regi. *Hornius* inde ac *Hebron*, atque *Vizthumius* persequi hostes cum *Arnimbiò* jussi, citatò ille cursu relictis ambagibus, hostium fronti opposuit se, reliquis in ipsorum latera undiqve circumjectis. Hosti

sti excidium facile turmasque Svecorum caesas cogi-
tanti, sonus machinarum, fulgor armorum, quanto
inopina, tanto offunduntur majora: jamque ex acie co-
hortes equitum proturbabantur. Pedites undique
quidem fulgentibus Svecorum armis, ancipiti malo
oppressi, cum & a fronte & a tergo metuerent hostem,
memorable praelium edebant: ut opinor, ignaviam
quoque necessitas acuit, & saepe desperatio rei causa
est. Similis ruinae strages erat, omnesque ferme Sve-
corum turmae, caeso etiam *Teuffelio* praefecto, misere
occubere. Ex quo dolore simul & ira inflammatus
Hornius in hostem disponi ac subinde solvi minores
machinas jubet. Ipse cum ceteris maximam irrumpe-
bat vi, ferroque cruoribus oblitus volitabat per cetera
vas, promiscuam caede manus perfundens.

Jamque inclinabat in vesperam dies, cum ex
obscura fumi caligine magna ferociam Rex per editiorum
campum in hostium terga, quod plures nondum satis
provisum impetu obtereret, laxatis proruebat habenis;
fremitus hostium exaudiebatur, & prospectum ade-
merat pulveris nubes. Relegebant & Saxones vestigia
praeliumque, & mediis hostibus circumfundeban-
tur. Inde non pugna, sed caedes erat. Cogebantur
in angustias hostes, nec cedere occlusi, nec sistere ter-
riti, nec dimicare undique lacerati ac debiles poterant;
donec, multo sanguine effuso, examinati procumbe-
rent partim, partim truncandis licet corporibus, pa-
rare sociis fugam satagerent. Itaque obscura luce,
cum fuga tutior videretur, quam pugna, diversis ma-
pulis, ut fugae vestigia fallerent, qua quemque aut
spes ducebat, aut pavor, dissipantur. *Alii Martis-*
bura

burgum, Halam, Lipsiam, quaq; brevissimum patebat iter: ignaros alii sequentibus calles tantò citatori gradu, quantò metus major, petebant. Tillyum quoq; ut ut celeriter se recipientem, in ipsâ fugâ Rhenani militis princeps, quem militaribus facetijs FRIDERICUM LONGUM appellabant, deprehenderat: multisque, cum deditioem renueret, sclopeto verberibus cædebat, haud dubiè in mortem afflictorus, nisi eum Lauenburgi Dux *Maximilianus*, capite per utraq; aurem transfixò, trucidasset. Itaque ad suos Halæ relictos pervenit clam, quodque cervici inflictum vulnus fuerat, ac ceteros nodos tumicesque, ex globis nescio quâ arte, ne penetraretur cutis, retusis acceptos, leniri operâ chirurgi curavit, indeque in Saxoniam perrexit ad reliquos. Denique hostibus tenebrarum fraude subductis, adhuc mutuis nostrates vulneribus, noscente nullò, quem foderet, sæviebant in semet; suâ clade prostratis hostium cadaveribus, profunda nisi pugnantem diremisset nox, parentaturi. Demùm cum voce ac symbolo noscitarentur, in ipsâ illa laborum vulnerumque arcâ quietem, sanitatem, tormenta, duces, copias, cuncta in victoria habuere.

Exortâ luce cunctorum animi pariter triumphis ac doloribus implebantur, cùm circumspicerent obrutos cadaveribus campos, suorumne an hostium, incerti. Comperto deinceps, Tillyum tribus ictum globulis, quanquam incassum, paucis fugæ comitibus Halberstadium petiisse, Pappenheimium ceterosq; ex fugâ comprehensos ibi collecturum, statuit victor exercitus eodem loco, quo copias hostium fuderat, requiem capere. Tum verò licentia victorum, præ-

E

dan-

dantiumque aviditas per singula corpora, quacunqve
jacebant, cum fugati hostes victoriam concederent
undique, palabatur. Cadavera armis, vestibus, pecu-
nias exuebantur, cum ex devictis non esset, qui non ad mi-
nimum decem uncialibus atque feralibus polleret nummis.
Vexilla centum pluraque reperta: duo captivorum millia:
caesorum in universum quindecim millia recensebantur.
Sed quis accurato finire numero singulos, quos Mar-
tis vis perculit passim, valeret? Ex ducibus Caesari-
anis oppetiére Baro de Schœnburg, Otto Fridericus, Hen-
ricus Ottmar de Erwit, Adolphus Holsatiae Dux, Baum-
gartenius, & Grotta, Barones, aliique, quorum ignota
vocabula, Corvilli, Teuffelius, Calmbachiusque, Hallius
& Damitz, Adergastius & Bindauff, Romroth & Star-
schedelius, ac Lemmingerus, alii inferiores praefecti no-
stratibus desiderabantur. Posterò die fugientibus in-
stitit Rex, variisque cohortibus feliciter fuis Martis-
burgum Halamque recuperavit. Lipsiam Saxo ad-
vectis copiis ac tormentis omnibus, liberavit, hosti-
bus inde certâ lege dimissis, cum jam tertium diem ex-
pugnare pergeret: ut adeò & Misniae & Saxoniae agri
ab infesta ac infelici illâ Pontificiorum colluvie pau-
cos intra dies repurgarentur. Quæ tùm secuta rerum
conversio subitò est? Cum ubi metus & terror & de-
speratio paullò ante egerant omnia verterantque, hic
gaudium mox & gratulationes ac festi plausus perstre-
perent: quâ incubuerat modò armorum vis, clades
excidiaque minantium, hic pax securitasque incede-
rent, nec unquam venisse bellum putaretur.

ELECTOR, ut erat in religionem deditis-
mus Princeps, acerrimusque pietatis ac Numinis cul-
tor


tor, solennem ac triduanam festivitatem in memo-
riam felicissimæ hujus victoriæ instituendam ac pera-
gendam subditis suis indixit atque præscripsit. Quip-
pe quæ nec fortunæ, nec militum virtuti accepta po-
terat referri, cum perparum restabat, quin dissipati
nostrates, ac tantum non fugam cogitantes periissent
omnes funditus. Imperscrutabili Numinis præsidio
siebat, ut, qui victoriam victoriæq; conditionem vimq; jam-
jam permagnâ devoraverant spe, improvise victoris manu &
insperata stricti ferri acie perimerentur. Vereor, ut hoc, quod
dicam, non perinde intelligi auditu possit, atq; ego ipse co-
gitans sentio: victoriam vicisse fuga videtur, cum, qui recesser-
ant, protraxerint hostes, ut ovantes mox inter Svecos & Sa-
xones medii, cædis materia, hærent. Jam si aliter cecidisset a-
lea, & adversariorum, sicut ante, conatibus tum quoque sup-
peditasset fortuna, quis Patriam, Religionem, quis Acade-
mias & cetera, quæ cara amataque habemus, super futura no-
bis existimare posset? Omnes profectò aut cæsi essemus, velut
piaculares hostiæ, aut inopes rerum omnium atque extorres,
diversis exilijs terrâ marique dispersi absque religione vaga-
remur, in multo etiam duriora servati. Quid majus ac po-
tius in rebus humanis religione ac libertate est? Hæc tenta-
bantur, & quo impugnabantur acrius, eò & defendenda
acrius erant. Huc tot spectabant hostium arma, huc tot
annorum, tot militum efferatissima tendebat rabies, ut non
corporibus magis, quàm animis imponeretur jugum,
atque extincta veritate cœlesti, & profligata Christiana fide
terrarum undiq; falsitatis ac perfidiæ regnum stabiliretur. Ita-
que campus quærebatur & acies, & certabatur jam illud cer-
tamen, cujus fortuna non vindicatura nos à servitiò tantum
aut addictura eidem foret, sed vicinorum quoque regnorum
spes autmetùs intenderet.

Tam prospera ergò illa lux, tam auspicata ac felix Chri-
stiano illuxit orbi, ut prima effreni hostium furori, qui tantò
tempore Reginam terrarum Germaniam afflixerat mirè ac
impu-

ve
ent
ecw-
mi-
mis.
llia:
tur.
Mar-
ari-
Hen-
um-
nota
llius
Star-
i no-
s in-
rtis-
o ad-
osti-
n ex-
agri
pau-
rum
t de-
, hic
stre-
ades
cede-
itissi-
cul-
tor



227
47/17
impunè vexârat, posuisse frenum, prima ad bene sperandum de publi-
ca re, & recuperanda libertate ac religione signum aliquod sustulisse
videatur. Eâ nunc, AUDITORES, tempestate quanta ex-
titerint gaudia quantâque devotio ac lætitia, rem ineptissimam
fecero, si parem exponere. Nam quis adæquet dicendo, quæ co-
gitando vix assequaris? Non cives, non subditi, non socii, non deniq;
homines tantum, sed Misnia & Saxonia & Germania & Europa cun-
ctaque Christianorum regna gratulabantur sibi de libertate. Immorta-
les Heroum GUSTAVI ADOLPHI, juxtimque JOHANNIS GEORGII
gloriæ fausta acclamatione dicebant laudes, Justissimoque rerum omni-
um Moderatori ac suæ Ecclesiæ clementissimo Tutori, DEO, unanimi
voce ingentes reddebant gratias. Eodem adhuc applausu Christiano-
rum cœtui quæque & nos prospera precamur; easdem Heroum lau-
des & gloriam nunc quoque & impofterum non reticendam repetimus
summis. Te quoque Omnipotens DEUS, Pater Dni. nostri JESU
CHRISTI, totius Humani generis Optimi Maximi Conservatoris, ea-
dem renata quasi in superstitem posterorumque animis venerantur su-
spira. Ecclesiam Tuam, quam Tibi propriam vindicasti, tuere & im-
pofterum, PATER, Verbique Sanctissimi Tui sinceritatem semper
custodi, atque unâ cum libertate dulcissimâ continuâque prosperita-
tis serie ac perpetuis incrementis ad seros nepotes longeq; ventura se-
cula trans mitte! Benedic, quæsumus, Serenissimi Saxonix Electoris
JOHANNIS GEORGII II. Nutritii nostri Benignissimi cœptis atque
consiliis! Benedic Celsissimæ Saxonum Familiæ! Benedic Scholis Rebus-
que publicis omnibus! Compesce exterâs bellorum procellas, pacem-
que nuperius Augustissimo Imperatori, totique ad eò Germaniæ conces-
sam, in omne tempus tectam sartamque fortiter conserva. Vive Impera-
tor Auguste! Vivite inclyti Electores! Vivite Principes Illustrissimi, vi-
tentes legibus, florentes opibus, invicti concordia! Vestrum amorem,
vestram fidem, vestram concordiam denuò firmatam, nulla aut frangat
aut perimat vis, nulla corrumpat aut violet fraus, & nullo unquâ dissolvat
dies. Vestra concordia nostra felicitas! Vestra concordia Patriæ salus:
Vestra concordia votum refugiumq; omnium est. Quicquid virtutis,
quicquid felicitatis ac gloriæ in Germania nostra emicuit olim ac fulsit;
quicquid eidem tot hostium tantorumq; nefariis hætenus ademptum
insultibus est; hoc reparate & repræsetate seculo, hoc propagate ad poste-
ros majores aut pares. Vestro Imperio aut constans concordia red-
det vigorem, aut ultimum finem discordia imponet. D I X I.



SOLI DEO GLORIA.



de publi-
fustulisse
anta ex-
tissimam
quæ co-
on deniq;
pa cun-
immorta-
EORGII
m omni-
unanimi
ristiano-
um lau-
epetimus
tri JESU
oris, ca-
antur su-
& im-
semper
osperita,
ntura fe-
Electoris
otis atque
lisRebus-
, pacem-
æ conces-
e Impera-
ssimi, ni-
amorem,
ut frangat
â dissolvat
riæ salus:
virtutis,
ac fulsit;
demptum
ad poste-
lia red-
XI.

ULB Halle

3

004 807 383





AC
CHR
NAG
RIC

N On v
sunt
semp
benemerend
meritorum
uitate diuin
DEI, effice
necessitates
gratia sunt
facilius imp
stulat Deu
illud, quô c
cum totus a
corporibus
pro minimi
ipsô & asp
magis praes
quorumq; f
Eid. Septe
IX, ac X

ENSIS,
NOTT.
S, SUPE
PUBL.
P. D.

inis eô tempore
recolenda etiam
; cum nihil ad
uam receptorum
clementia ac bo
i ope atq; auxilio
et soletur nostras
per itaq; agenda
ficia, accipienda
reddi à nobis po
, hoc sacrificium
liatur. Namq;
re eum adornate
gatur. Quam cum
nino nisi dante
quimur) quantò
tierit maxima,
udius tertius VII.
rtu, quâ ante hos
nobis Victoria
parta

